Tentamen Medicum,

DE

Natura, Causis, Temporibus, Differentiis, Signis Diacriticis, Prognosticis, Medelaquè

VARIOLARUM:

In gratiam Tyronum in Medicina exaratum.

LONDINI:

Typis *A. Maxwell*, impensis *Sa. Gellibrand* ad insigne Aureæ Pilæ in Cæmeterio *Paulino*, 1674.

De natura & Causis Variolarum. p. 4
De variolarum Temporibus. p. 25
De variolarum Differentijs p. 30.
De signis variolarum Diacriticis p. 34
De varijs symptomatibus in variolis occurrentibus. p. 38.
De signis Prognosticis. 50
De variolarum Therapeia 54.
Haemorrhagia Narium. p. 90.
Oris vitia. ibid.
Vigiliae nimiae. 91. Deliria ibid.
Pectoris 92. Fluxus mensium nimius 92
Alvi fluxus 93. Convulsiones ibid.

si sanguis miasmate contagioso & vermi-
nato corrumpi incipiat, inque portiones co-
agulatas & sphacelatas facessat, pulmones
labem pericipuam, unde vitae periculum imi-
net, suscipiunt: hoc in morbillis varia-
lis, & febribus malignis saepe videtur, a
quibus affectibus quoties aegrotantes inte-
reunt, ita fieri videtur, vel quia san-
guis intra cordis aut pulmonum ossa gru-
mescens, circuitus viam obstruit, proinde ut
influxus ejus in cerebrum praecidiat;
vel quia sanguis corruptelae ductuum pul-
monarium parietibus affixae, affectionem
phlegmonodnv ijs inducunt, unde Tussis
molestissima, dyspnoea, sputum sanguine-
um &c. Willis Pharmaceutic. Ratio-
nal. pt. 2. p. 48.



Anno Dni, 1694 Circa medium Sept: Burienses
afflatu quasi varioloso ex improviso corripi-
ebantur, multi n. eodem die variolis decumbe-
bant, 4r in domo Dni macro eodem qsi momento
hac lue contagiosa sunt afflati, inter quos Da
Coxe decumbebat, haec ultra sexaginaria,
diu paralytica, ~~ac~~ humore acri ac virulento
saepius vexata, cum vomitu ac alia sympto-
mata variolosa 4r dies patiebatur, tandem
stigmata quaedam variolosa in facie apparebant,
de genere confluentium videbantur, guttur &
brachia maculis purpureis sunt interpuncta,
lingua & oris partes interiores sorditie viscosa
infestantur, respiratio laboriosa, mentem constat,
die ab eruptione 3o obijt: honesta etiam femi-
na nomine Fuller hoc contagio decumbe-
bat, catameniis immoderate fluentibus, ~~ac~~
die 4mo maculae purpureae in facie appa-
rebant, ac non obstantibus remediis ex
arte praescriptis die 10o satis cessit, ne mi-
nimum quidem delirabat. Duae etiam pu-
ellae Turner his stigmatis purpureis
commaculatae, ~~[illegible]~~ quarum 1a urinam
ameruentam effundebat, ambae animas ex-
spirabant.

Filius D^ni Curtice anno 12° agens, dispositione variolosa corripiabatur cum convulsione & delirio, ac die ab eruptione 3^a urinam cruentam excrevit, urina cum caeteris symptomatis formidulosis ad diem 5um & 6^tum continuavit, sensim decrescendo, ac pustulae ad eminentiam debitam tardè assurgebant, ad magnitudinem ut maturitatemque requisitam omnis die 4° & 8° acquirebant, remedijs appropriatis, debito regimine, ac suppedaneis è sapone, sale, & allio, ac vesicatorijs, tandem convaluit.

Filia D^i Bert mictu sanguineo per dies aliquot laboravit sine maculis purpureis & evasit.

variolae confluentes, ichorosae, tar-
deq maturescentes malum portendunt.

Inferior Epiglottidis pars variolis sa-
pe afficitur, hinc ejusdem occlusio natu-
ralis impeditur, unde hoc morbo labo-
rantes suffocationem et tussim corripiuntur
deglutiendo, potus n. per operculum
hoc in trachaeam admittitur, et pulmo-
nes irritando haec symptomata pro-
ducunt.

Si variolis decumbentes Diarrhaea biliosa
corripiantur, bonum Apharismum portendit, ac
ideo non sistenda
Urina contentis saturata in variolis ut bonum
signum habeatur.

In variolis alvus ad decimum diem sup-
primitur impune, materia ad cutem flu-
ente.

Benigna purgantia in variolis et mor-
bis malignis aegre ferunt patientes,
in quibus quidem tonus partium in antecessum vi
malignitatis morbi laxetur et exsolvatur.
hinc maximae ~~turbae~~ turbae et hyperca-
tharsis periculosae concitantur. Elisson.
vomitoria hu mores in habitum corporis
expellunt ac sudorem promovent un-
de in 1° stadio variolarum tuto exhibeantur
ad earum exclusionem accelerandam.

uxor Doe Barbitonsoris corripiebatur symptomatis variolosis mense Decembris anno 1710, venaesectio nec vomitus ex arte celebravimus, dein variolas exconfluentes cum faciei turgescentia inspeximus, maculis purpureis copiose in facie & brachijs erumpentibus, die 2° ab eruptione urinam saturatè sanguineam reddidit, & die 3° 4°, cum sli urina vitam reddidit: aliquando deliravit.

Filia Dorken Barbitonsoris incidit in symptomata variolosa & ab incuria vomitus & sanguinis missio omittebat, die 3° facies intumescebat sine eruptione variolosa, nec vestigium quidem molecularum apparebant, facies ut instar vesicae insufflatur, facies & brachia maculis purpureis tingebantur, ac oris capacitas nigrescebat, & leni tactu sanguinem fundebat, die 4° vitam finivit.

Dnus Antonius Sidobre universitatis Monspeliensis Dr Tractatum de variolis et Morbillis scripsit anno Dni 1677

1174. a 20

~~7 6 a~~

Tentamen Medicum,

DE

Natura, Causis, Temporibus, Differentiis, Signis Diacriticis, Prognosticis, Medelaquè

VARIOLARUM:

In gratiam Tyronum in Medicina exaratum.

LONDINI:

Typis *A. Maxwell*, impensis *Sa. Gellibrand* ad insigne Aureæ Pilæ in Cæmeterio *Paulino*, 1674.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

4 x f

AFfectus ad quem elucidandum animum appuli, nomine Variolarum (a varis dictarum) insignitus, nunc dierum vulgò notissimus. Cæterum an antiquis Græcis ante Arabum tempora fuerit notus & notatus, lis versatur literaria. Mercurialis novum esse morbum existimavit veteribusque Græcis incognitum. Aliorum sententia est Hippocratem hunc morbum, nomine ἐξανθημάτων ἐρυθρῶν στρογγύλων σμίκρων, Galenumque per exanthemata ulcerosa indigitasse, *lib.* 5. *Meth. Med. c.* 10. & 12. Videsis *Thomæ Barth.* Cistam medicam p. m. 592.

CAP. I.

De Natura & cauſis Variolarum.

IN diverſas abeunt ſententias artis Apollineæ Heroes de Cauſa hujus morbi: morbum eſſe communem experientiâ compertum eſt, & ex effato Hippocratis, Communes morbi communem agnoſcunt cauſam. Attamen in hac cauſâ aſſignandâ variè diſputant Medici. Nonnulli cauſam conſtituunt peculiarem quandam aëris intemperiem ab occultis aſtrorum influentiis, vel diſpoſitione mala Atmoſpheræ globi terraquei oriundam. Vide *Fernel.* l. 2. de abditis rerum cauſis, c. 12. Facilis concedo ἀνωμαλίαν aëris eſſe cauſam evidentem hujus morbi at non ſolitariam, unde pro variâ aëris conſtitutione nunc benignæ, nunc

nunc malignæ evadunt Variolæ. Anno 1654: Oxoniæ circa Autumnum Variolæ latiſſimè graſſabantur, tamen plurimi evaſerunt. Circiter annum 1649, rarior erat hic morbus, tamen plurimi ex eo interibant, uti Will. noſter Reip. medicæ decus memoriæ prodidit, l. de Febribus, p. 260. *Amſtelodami graſſabantur Variolæ ſub initium anni* 1669: *Ut de centum circiter & triginta funeribus quæ ſingulis efferebantur hebdomadibus, centena eſſent puerorum hâc plagâ puerili extinctorum, inquit Kerckringius Obſ. anat.* 62. *p.* 126. Annis 1671 & 1672, Variolæ multos comitatus in Anglia pervaſêre malorum ſymptomatum ſatellitio ſtipatæ, nimirum, macularum rubrarum, purpurearum, violacearum,& in nonnullis parotidum, ex iiſque multi fatis conceſſêre; ex noſtro oppidulo & parochiâ circiter

citer 66. Prosper Alpinus l. 6. p. 25. de Egyptiorum medicina testatum reliquit, *in prima æstatis parte in pueris grassari plurimas Variolas pestiferas contagiosas, quæ oriuntur a veneficis vaporibus in aërem tunc a putrida aquâ rivi fluminis* [Nili] *Caleg vocati, sublatis. Singulis etenim annis aucto eo flumine ad altitudinem decem & octo cubitorum, aqua ab ipso in rivum Caleg vocatum ingressa, perque ipsum transiens, totam urbem Cayrum permeat, fluitque semper per ipsam a tempore quo Nilum nuper dictâ altitudine auctum esse dixi, quousque flumen ipsum crescere desiit, quæ finito augmento fluminis in alveo Caleg remanet, pauloque post stagnans facta putrescit, viridisquè primò cernitur & mox nigra admodumque fœtida apparet, &c.* A constitutione aëris variâ varios morbos exoriri

Epi-

Epidemicos naturæ determinatæ admodum probabile eſt. Peſtilentiam quæ ſolos Boves jugulabat in Galliam irrepſiſſe memoriæ prodidit Fernel. anno 1514. Alia eſt peſtis quæ inter equos in Anglia per biennium ſæviit 1661. Vide *Hodg.* de peſte Lond. p.67. Plurium ſæculorum experientia obſervavit a brutis peſtilentiam incipere, primamquè ſtragem beſtias populari, ita apud Homerum,

Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπώχετο
καὶ κύνας ἀργούς.

Alia autem eſt indoles peſtis quâ homines jugulat, quam acceptam referimus aëri peculiari quodam quaſi veneno tincto. Sic in hoc caſu interdum talis contingit vitioſa aëris conſtitutio, quæ ſemina Variolarum fermentativa in actum deducit. *In Iſlandiâ noſtrâ Variolæ anno quovis vigeſimo recurrenti graſſantur; & certa eſt incolarum*

colarum perſuaſio, ſicut mihi fidem Iſlandi fecerunt, nullos qui eo anno quo Epidemicæ ſunt, Variolis non inficiuntur, attingere proximum annum vigeſimum, nec ſuperſtites eſſe poſſe ad proxime recurrentem Variolarum terminum. Vel ſingulare hoc erit exanthematum genus cœlo Iſlandico proprium, vel in gentis hujus occultâ proprietate aliquid latet, quod per Variolas inquilinas expurgari debet. Inquit Barthol. cl. de medicina Danorum, p. 166. videſis Epiſtolar. med. Cent. 3. p. 390.

Ceterum hæc cauſa externa, *viz.* maligna aëris conſtitutio, Variolarum, non ſufficit; cauſa etiam communis procatarctica inveſtiganda eſt, quæ infantes, pueros, homines provectæ ætatis, ſeneſque ſexagenarios huic morbo obnoxios reddit. At hujûs affectûs procatarxin aſſignare equidem difficile pen-

penſum. Ex opinione Mercurialis Variolæ in cenſum morborum novorum & hæreditariorum rediguntur. lib. de morbis puer. c. 2. uti Arthritidis, Epilepſiæ, Phthiſis, Rabiei, Lithiaſis: ſed hæc opinio falſo nititur fundamento; non raro etenim variolæ evadunt Epidemicæ ac per totas urbes, uti Cayrum, vicoſque graſſantur, teſtante Prof. Alpino lib. 1. p. 23. At morbi hæreditarii non ſunt Epidemici. His accedit, quod plerique omnes hac Labe correpti perfecte convaleſcunt, & nunquam recidivam patiuntur. Arabum myſtæ uti Avicenna eorum princeps, Haly, Abbas, Averrhoes, Avenzoar, qui artem Apollineam excoluêre cauſam procatarcticam hujus mali, ſanguinis menſtrui impuritatem aſſignârunt, quo ſingulæ fœtus particulæ aluntur. Hæc diatheſis morboſa ab impuritate

ſan-

guinis menſtrui ſolidis partibus vel ſpermaticis potiſſimùm reconditur & exinde in ſanguinem tranſit. Huic opinioni aſtipulantur pleriquè omnes medicinæ proceres. Quæ ſententia non omnino improbabilis videtur, *Quippe in utero muliebri generatur fermentum quoddam quod ſanguinis maſſæ communicatum, ipſi vigorem & πνευματωσιν conciliat, ac dein ſtatis periodis turgeſcentiam & ſanguinis ſuperflui excretionem procurat; tempore autem conceptus cum omnino deſiſtunt menſtrua, plurimum hujus fermenti fœtui impenditur, ejuſque particulæ ceteris quibuſcunquè heterogeneæ, velut extraneum quoddam, humorum ac ſanguinis maſſâ confunduntur, cui involutæ & ab invicem ſeparatæ diu deliteſcunt, ipſique ebullitionem ac deindè coagulationem inducunt e quibus plurima hujus morbi ſymptomata oriuntur,*

in-

inquit Will. de Febribus, p. 254. In diverſum abit cl. Thomas Barthol. ſententiamque negativam defendit, Ciſta medica p. 598. cujus verba hic recenſere non gravabor contra Arabum ſententiam militantia. —— *Sanguis enim maternus malignus non eſt, nec pro certo conſtat an ſanguine illo fœtus in utero nutriatur, quum recentiorum obſervationes & ſententiæ dubitare nos cogant. Quicquid autem ſit de iſta hypotheſi, quia cibi quicunquè in utero ſugendi, matris vel robur, vel vitium referunt, partes embryonis effigiatas cernimus antequam matris ſanguine indigeant. præterea ex menſium inquinamento variolæ mulieribus imminerent, quoties ſuppreſſus eſſet ordinatus fluxus. Et difficile intellectu eſſet quomodo reliquiæ iſtæ materni ſanguinis tamdiu interdum in corpore deliteſcant, quod interea*

terea aliis morbis graviſſimis ſæpius fuit expurgatum. Nec omnes invadit lues ſed plurimos ſemel, alios bis, tervè, nunquam ſingulos, eoſquè contagio vel cauſa externa. Scrupulum movent fratres loco diſſiti, quorum uno variolis affecto, alter ſub alio ſole vivens eodem tempore inſicitur, quod non ſemel alias & nunc obſervatum. Sed ad maternum ſanguinem recurrere nullâ cogimur neceſſitate, quum hujus ſympathiæ alia reddi poſſit ratio, nequè enim omnibus, nequè in aliis affectibus ſuccedit experimentum.

Ut hujus morbi cauſæ proximæ & continentis indoles magis innoteſcat, advertendum eſt, ſe habere inſtar fermenti. Ut enim fermentum liquori alicui admixtum, facit, ut liquor iſte efferveſcere incipiat, ita fermentum variolarum

rum in actum productum ſanguinem turgeſcere & efferveſcere cogit. Hoc manifeſtum evadit ex qualitate ejus contagioſâ, quæ fermenti naturam induit; ut enim μικρα ζυμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ, exigua quantitas fermenti maſſæ farinaceæ non fermentatæ miſta facit, ut ipſa efferveſcat, ita μιάσμα Variolarum ſanguini admixtum in motum febrilem concitat, coagulat, ad putredinemquè diſponit. Ut indoles hujus fermenti Variolis proprii magis innoteſcat, ſequentes advertantur propoſitiones.

1. Fermentum Variolarum eſt malignum. Nonnulli in hac ſunt ſententia, Variolas non eſſe morbum malignum. Quod ad me attinet, nullus dubito quin κακοηθὲς νόσημα ſeu morbus malignus meritò audire debet, ſeu ſpectes ejus ingenium ſeu accidentia ſupervenientia, perſuaſumque habeo τὸ θεῖον

quod

quod in morbis medicinæ dictator occurrere ſcribit, hic adeſſe. Malignitas ejus ſe prodit. 1. Contagione; Variolas eſſe contagioſas lugubri experientiâ luculenter patet. 2. Methodo medendi, quæ alexipharmacis temperatiſque ſudorificis peragitur. 3. Proſtratione virium ſine cauſa evidenti, majori, quam pro natura febris; ſcil. aliquâ inſigni evacuatione, vigiliis, doloribus, aliiſque quæ vires proſternere aſſolent. 4. Excretis, ut urinâ, quæ non rarò eſt ſanorum ſimilis, conſpicitur quoquè ſubinde craſſa & turbida, jumentorum inſtar, quæ magnam humorum ebullitionem ſignificat. Adhæc evacuationes in initio morbi ſymptomaticæ, nimirum, hæmorrhagia narium, menſium nimius fluxus, fluxus alvinus, ſunt morbi mali moris phænomena; vermes modò per alvum, modò per vomitum

mitum excreti in hunc cenſum ſunt referendi. 5. Maculæ hinc inde in corpore erumpentes varioliſque interſperſæ ſunt malignitatis characteres. Magna eſt venenorum varietas, quædam ebullitionem febrilem in ſanguine concitant, variaſque alterationes inducunt, quædam ſanguinem fundunt, quædam congelant & dein putredinem, & ad ambitum corporis eliminata diſcolorationem cutis, maculas & ſtigmata inducunt. *Ab ictu Scorpionis totum corpus conſpergitur maculis nigris. Senn. l. 6. part. 7. c. 3. Ex morſu viperæ nonnunquam totum corpus in tumorem nunc rubeſcentem, quandoque etiam purpuraſcentem aut nigricantem attollitur, Senn. l. 6. p. 8. c. 8. Omnino fieri ſolet, ut ii qui veneno mortui ſunt paulo poſt mortem toto corpore colorem primo citrinum aut ſubviridem, & poſt unam vel duas horas lividum aut nigrum acquirant,*

quirant, quod ab humorum ſubitâ corruptione accidit. Inquit Senn. l. 6. p. 5. c. 3. Conſimiliter in quâdam Variolis defunctâ totum corpus conſpiciebatur tanquam flagris cæſum. Maculæ nigricantes in multis erumpunt, quæ ſunt portiones ſanguinis à veneno Variolarum coagulatæ. 6. Malignitas hujus morbi ſeſe propalat ſignis huic morbo peſtiquè communibus, *viz.* horroribus, vertigine, cephalalgiâ, palpitatione cordis, hæmorrhagiis, delirio, phrenitide, maculiſqué ſivé petechiis floridis, purpuraceis, lividiſque, conſimiliter ac in peſte.

2. Eſt febrile. *Venenum diu in corpore latens ſenſim humores corrumpit, inde putredo fit & tandem febris accenditur, Senn. lib. 6. p. 5. c. 3. Eæ febres comitatæ appellari poſſint quibus alia mala conjunguntur, nimirum, dyſenteria, variolæ,*

riolæ, morbilli, petechiæ, ait Senn. l. 1. c. 16. de febribus. Zeilan insulæ fluvius Arotam *piscosissimus est ceterum pisces illi neutiquam esculenti sunt. E quodam genere unum, siquis manu capiat, continuò febre corripitur, amisso pisce, statim liberatur, idcirco eum Febrium nominavimus, inquit Scal. Exerc. 218. 8. 6.* Hic piscis æmulatur naturam & activitatem fermenti, quo applicato sanguis fermentatur; sic μιάσμα variolarum sanguini impressum fermentationem febrilem concitat, & nonnunquam insignem humorum ebullitionem. Febris Variolis comitata, est primaria essentialis continua cum putredine & maligna, quæ se prodit, æstu, siti intensâ, faucium ariditate, linguæque nigredine, capitis dolore, inquietudine, anguſtiâ circa præcordia, propter quam quiescere nequeunt, sed de latere in latus

corpus

corpus volvunt ſæpiuſque ſitum mutant, ut in peſte fieri ſolet. Quin etiam comitata ſpirandi difficultate, pulſu citato, fœtore anhelitus, putredinis ſobole immediatâ, virium proſtratione, diarrhæâ in principio morbi, & dyſenteriâ, cordis palpitatione, maculis variis, urinâ tenui, crudâ, rubrâ, turbidâ, jumentorum ſimili, qualis excernitur peſte correptis. Senn. l 4. de febribus c. 40. de ſignis peſtis. Febris Variolis comitata quæ in morbi principio concitatur, ſi omnia naturaliter ſe habeant, Variolis egreſſis, ceſſat, & quum Variolæ ſuppurentur non rarò recrudeſcit juxta tritum dictum: *Febris facit variolas & variolæ febrem. In variolis ſi ſint copioſæ & pravæ ubi ſuppurare incipiunt, cum tota cutis ſæpe intumeſcat & quaſi inflammetur, ſolet nova febris, etſi prior ferè evanuerit, accendi, quæ interdum*

pe-

periculoſior eſt quam prior & quæ non prius ceſſat quam variolæ ſint maturatæ & reſiccari incipiant. Inquit Senn. l. de morbis Inf. p. 2. c. 2.

3. Eſt ſanguinis coagulativum. Variolarum miaſma craſin ſanguinis pervertit compagemque laxat, maſſam inſigniter turgeſcere & ebullire, & poſt aliqualem efferveſcentiam in partes ſecedere ac coagulare facit——*portiones ſanguinis ita coagulatæ, una cum implexis veneni ſeminibus, a reliquo ſanguine in circuitu ejus, inter vaſorum extremitates derelictæ, cuti affiguntur, Williſ. de febribus p.* 257. Hic inquirendum occurrit de indole hujus veneni quod ſanguinis coagulationem inducit. Philoſophicâ utens libertate conjecturas meas, fas ſit mihi in medium proferre, quas emunctiorum examini offero. Animum inceſſit opinio hoc Variolarum miaſma eſſe

indo

indolis ſalinæ, acidæ. Coagulationem eſſe ſalium acidorum proprietatem apud medicos eſt in confeſſo, quod inſtantiis demonſtrari facili negotio valeat. Si oleum vitrioli affundatur ſuper oleum Tartari, coagulum emergit album. Sal urinæ in ſpiritum vini conjectum, eum coagulat. *Partes ſanguinis ſeroſæ ab infuſo Acido ſunt coagulabiles, qui concreſcit per admixtionem peccantis cujuſdam acidi humoris; quod experientia tuis exhibebit oculis, ſi cani vivo venam ſecueris, eique ſpiritum vitrioli infuderis, coagulabitur continuò ſanguis & qualem in putatitiis illis Polypis animadvertimus concipiet duritiem. Kerckringius Obſ. Anat. p.* 146. *Oleum vitrioli ſanguini admixtum eum in thrombos grumeſcere compellit. Vide Carlet. de ſcorbuto p.* 81. *Sylvii de la Boe Ideam p.* 275. Coagulationem & extra-

extravaſationem ſanguinis in pleuritide acrimoniæ ſanguinis acidæ aſcriptam volunt medici, ideoque acida in hoc morbo inter prohibita habentur, quia ſanguinem coagulant. In Variolis acida quævis nocent, hæc enim ſanguinem magis congelant, & aſtrictione vaſorum oſcula contrahunt, ut variolæ minus liberæ erumpant; μιάσματι peſtilentiali ineſſe ſpiritum ſalinum aſſerit D. *Hodges* in hiſtoria peſtis Lond. p. 51, 52. Febrium malignarum cauſam eſſe ſal tum volatile tum acre autumat Sylvius prædictus p. 565. Ac Variolis ineſſe fermentum ſalinum fas ſit mihi opinari. Pruritus, horrores, rigores, ſpaſmi, tremores cordis, Lipothymia, non raro in hoc morbo occurrentia ſunt liquoris nimis ſalſi acriſquè indicia. Amplius, ex hoc morbo convaleſcentibus augetur fames, quæ a ſucco acidiore

acidiore in corpore redundante ortum ducit.

4. Eſt ſanguinis corruptivum & putredinale. *Sanguinis coagulatio ipſum ad putredinem ſeu corruptionem citò diſponit, ut videre eſt in ſanguine extravaſato qui citò nigreſcere & putrere ſolet. Williſ. de febribus p.* 220. Cauſa materialis Variolarum, ut dictum eſt, ſe habet uti fermentum quod ebullitionem & coagulationem ſanguinis inducit. Quæſitu dignum eſt, qualis eſt illa ſanguinis fermentatio quam miaſma Variolarum concitat. Fermentatio eſt duplex, 1. Pura & perfectiva a putrefactione libera qua res naturales ad διαθεσεις a naturâ deſtinatas evehuntur, qualis eſt in muſto, mulſo, Pomaceo, & Pyraceo, cerviſiâ, & terminatur in depuratione liquoris. Quidam ſanguinem muſto aſſimilant, & illum in vaſis ſanguiferis depu-

depurari hâc effervescentiâ asserunt, non aliter quám vinum in doliis ebullitione partes heterogeneas vel ad superficiem propellit, vel ad fundum præcipitat. At experientiâ patrocinante multo aliter se res habet in Variolis, massa quippe sanguinea correptis ichorosa & corrupta evadit. 2. Corruptiva cum putrefactione juncta, qualis contingit in febribus malignis, peste, & in venenis fermenti rationem habentibus. Ejusmodi sanguinis fermentationem miasma Variolarum inducit illumque coagulat, consistentiam naturalem vitiat, corrumpit, depauperat, ineptumque reddit motui in orbem. Putredo sanguinis satis se prodit odore cadaveroso & ingratissimo, quem exhalant correpti.

5. Est prætenue & spirituosum. Fomite recondi & particulas contagiosas panno laneo adhæresce re com-

compertum habeo. Præ texturâ ejus ſubtiliſſimâ & agillimâ poros aëris pervadit, cujus vehiculo facili negotio præcordia ſubintrat, ſanguinemque fermentat.

Cauſæ externæ quæ hujus fermenti particulas exagitant & in actum deducunt, ſunt hujuſmodi.

1. Diſpoſitio aëris maligna, hujus morbi Ideæ analoga.

2. Cauſæ omnes calorificæ, prout exercitium immodicum, crapulæque quæ ſanguinis perturbationem inducunt.

3. Contagium ab extra ſuſceptum. Sæpe ἀπορρῖαι occultaque effluvia e corpore infecto effluunt, & aëris poros penetrant, quæ per inſpiratum per nares vel poros corporis ab aliis corporibus ſuſcepta, ſemina morbifica in motum cient, potiſſimum in iis corporibus inter quæ eſt analogia, qualia ſunt con-

ſan-

ſanguineorum. *In humano genere novum non eſſe illos invicem morbis infici, peſte, Variolis, etiamſi abſentes, qui affinitate ſanguinis & ſimilitudine arctius inter ſe conſpirant. Inquit. Th. Barthol. Epiſt. med. Cent. 4. p. 261.*

CAP. II.

De Variolarum Temporibus.

INdigitatâ ad hunc modum fermenti Variolarum indole, jam proximè agendum de Variolarum temporibus. Apud Medîcos tempora morbi à coctione & eruditate dependentis, ſunt illa quibus totius morbi decurſus includitur; & ſunt Principium Augmentum, Status, & Declinatio, quæ tempora Variolis accommodanda.

1. Principium Variolarum ſup-

putes, à quo ſanguis fermentare, æſtumque concipere incipit uſque dum erumpant. Hoc morbi ſtadium circa quartum diem ſæpe abſolvi ſolet, at non ſemper; quippe modò citius, modò tardiùs erumpunt, ſecundum individualem ægrorum conſtitutionem, aeris temperiem, materiæ morbificæ copiam, denſitatem vel raritatem cutis è quâ erumpere debent. Nonnunquam die ſecundo apparent, vel tertio aliquando ad diem ſeptimum uſque prorogantur, quod ſemel obſervavi in puellâ annum ætatis tertium agente. In hac periodo multæ particulæ venenatæ in maſſa ſanguinea diſperſæ agglomerantur, & materiâ morbificâ ad venas & arterias capillares expulſâ, aſperitudines rubræ erumpunt, inſtar acuum capitum, milii ſolis, vel ficuum ſeminum.

2. Poſt principium morbi ἀκμὴ ſuccedit,

ſuccedit, & incipit à prima Variolarum eruptione uſque dum increſcunt & ſanguine in pus mutato albeſcunt, vel à die quarto ad 8 vel 9. In hoc morbi ſtadio ſi omnia ex inſtituto naturæ ſuccedant, Febris, ſitis, inquietudo ſedantur, aliaque ſymptomata paulatim miteſcunt.

3. Proximè ſuccedit Ακμὴ morbi, quæ à ſeptimo die ab exitu Variolarum exorditur & ad decimum vel undecimum protrahitur. In hac temporis periodo in tumorem elevantur Variolæ, albeſcunt, pruriunt, & incruſtantur & de dolore pulſativo conqueruntur *correpti*, tandem decidunt hoc tempore, etiam quatuordecim diebus elapſis, multi diem ſuum obiërē. Stadia morbi prædicta non ſemper dierum numero exactè deſcribi poſſunt, ſed nunc ſunt breviora nunc longiora, nunc plures nunc pauciores dies complectun-

tur, quibus facultas expulsiva est robusta, habitus corporis mollis, materia morbosa cocta, meatus corporis patuli, Variolæ foras amandantur ocyus, quam in aliis. In hac periodo morbi prima Febris sæpe redintegratur ob διαπνοὴν impeditam à πυκνώσει pororum, cutisque constipatione ortam, & ab erroribus mulierum clinicarum in regimine commissos, quarum mentes vana incessit opinio, febrem esse necessariam ad suppurationem Variolarum promovendam; hoc tempore morbi nonnulli in delirium incidunt, & tunc spes est in angusto nisi delirium sit vigiliarum effectus.

4. Sequitur morbi παρακμὴ seu declinatio, quæ circa diem undecimum incipit & ad 14 protrahitur: tum ut plurimum Variolæ in scabiem incrustantur & arescunt, nonnunquam exsiccatio longius

gius protrahitur uſque ad diem vigeſimum. In hoc morbi ſtadio nonnulli febre tentantur, quæ ſæpe ortum trahit è regimine ægrorum plus juſto calido. Alii diarrhæâ laborant, oculorum Rheumatiſmo, cæcitate, tumoribus ſtrumoſis circa collum, tumore pedum ædematoſo, capillorum defluvio ob humorum pravitatem, & dentium caſu. *Nonnulli à paſtu intenſo vultus rubore, non rarò item cephalalgiâ continuâ vel periodicâ afficiuntur, à diſcraſiâ ſanguinis, chymi recentis mixturam ægrè ferentis oriundâ ex Sent. Will. l. de Anima c. de cephal. p.* 272. *&* 285.

CAP. III.

De Variolarum Differentiis.

QUod ad Variolarum Differentias attinet non in diverſas dirimuntur ſpecies ſed tantum in differentias accidentales à proprietatibus Ideam morbi comitantibus deductis.

1. Reſpectu quantitatis ſunt magnæ vel parvæ, paucæ vel multæ, adeo ut ſunt contiguæ & confundantur; hæ malè ominantur.

2. A colore diſtinguuntur, ſunt albæ & rubræ vel rubro cinguntur circulo, lividæ vel violaceæ, nigræ, quædam ſunt depreſſæ cum maculâ nigrâ in medio illarum; hæ ſunt malignæ & ut plurimum triſtis lethi prænuntii.

3. Reſpectu qualitatis, ſunt benignæ

nignæ vel malignæ. Nonnulli ſtatuunt Variolas non eſſe malignas; at malignitatis phænomena utpote color niger, lividus, maculæ diverſicolores Variolis interſperſæ, rubræ, purpureæ, violaceæ, circa collum & thoracem, huic opinioni fidem detrahunt: Accedit, quod deliria, rigores, tremores, motus convulſivi, veternus, malignitatem hujus morbi produnt.

4. Quoad motum differunt Variolæ; in quibuſdam foras protruduntur tardè, in aliis citius & aliquoties ſat citò & copioſè erumpunt in facie, manibuſque, & paucè in aliis corporis partibus & in ſtatu emarceſcunt, citius vel tardius.

5. Reſpectu figuræ, ſunt rotundæ, faſtigiatæ, diſtinctæ, depreſſæ, & in illarum medio foveæ exiſtunt, quæ poſtea attolluntur & turgent.

Interdum in toto morbi decurſu ſunt malè figuratæ, quæ periculum intentant, ſed quoſdam taliter affectos evaſiſſe non me latet.

6. Reſpectu tactus; aliæ ſunt duræ verrucarum inſtar, aliæ molles ſanie tenuiori turgentes.

7. Reſpectu ſubjecti; aliæ externas partes ſolum occupant, aliæ & externas & internas, inducuntquè febrem, reſpirandi difficultatem, in inteſtinis dolorem, nonnunquam dyſenteriam, modo renes infeſtant, unde urinæ cruentæ. Vide ciſtam medicam. *Barth. p.* 594. *Quibuſdam à morte diſſectis, pulmones, jecur, Lienem omniaque interiora, haud ſecus atque cutem ſordidiſſimis ſcatuiſſe maculis inquit Senn. Vide Fernel. de morbis peſtil. c.* 12. *p.* 476. *Par. idem obſervavit, l.* 19. *c.*1. Hoc ſatis compertum habeo fœtus in utero Variolis laboraſſe, quoſdam in lucem editos Variolis ſcatentes novi. Vide

Fab.

Fab. Hild. Cent. 4. Obſ. 55. 56. p. 328. Ciſtam medicam Barthol. 595. *Interna etiam viſcera exanthematis fœdari non ſemel vidimus, plerumque in pulmones ſeſe exonerans, infectus febris acutæ ſanguis, putredinis in illis labem imprimit. In Cadavere aperto principis Auriaci Wilhelmi Mariæ nuper defunctæ mariti, quem Variolæ quoquè Hagæ Comitis* 1650 *jugularant, totus pulmo valde niger inflatus, inflammatus, ſanguine nigro circumſeptus dicitur. In cadavere aperto illuſtriſſ. Principis Regiæ Mariæ Auriacæ Londini Variolis extinctæ, annotarunt ad pollinctoram vocati, Omentum eſſe ſemiputridum & propè lienem valde inflammatum, & lienem eſſe ſemiputrem, ventriculum ſuperiori parte inflammatum intus apthis multis; Hepar parte ſummâ maculis fœdatum & propè ad Gangrænam uſque inflammatum*

cum ſumma parenchymatis flaccidi-tate, pulmones ex utrâque parte penè putridos & ſanguine nigrican-te plenos, & tota ſuperficie macu-lis & puſtulis inſignibus conſper-ſos, renem ſiniſtrum ad inflamma-tionem tendere, Barthol. Epiſt. me-dicin. c. 3. 389, 105.

CAP. IV.

De Signis Variolarum Diacri-ticis.

SIgna hujus affectus diagnoſtica, eum imminentem vel in fieri demonſtrantia, a triplici fonte pe-tuntur. 1. Ab Actionibus læſis. 2. Ab excretis. 3. A qualitati-bus mutatis. 1. Ab actionibus læ-ſis, ſcil. animalibus à particulis ſan-guinis malignis regimini animali ſug-

ſuggeſtis, utpote Phreneſi, cephalalgia, vertigine ab anomalo ſpirituum motu profectâ, delirio, ſomno profundo, inquieto & inſomniis terrificis pleno, à vaporibus narcoticis poros cerebri corticales ſubeuntibus. Senn. l. 2. c. 19. de Infant. curatione, rubedinè faciei, ſitì, pulſu celeri, conqueruntur *Correpti* de dolor bus in variis corporis partibus. 1. De dolore pungente in latere à materia maligna & acri pleuram vellicante. *Sæpe accidere ſolet ut ſeroſi interdum etiam maligni humores ex venis in externos lateris muſculos effunduntur, & graviſſimos ſæpe dolores non tamen diuturnos & quidem ſine inflammatione excitent: Ita memini infantes aliquot graviſſimos dolores in pectore perpeſſos eſſe, antequam morbilli erumperent, qui morbillis erumpentibus poſtea ceſſarunt, Senn. l. 2.*

p. 3.

p. 3. c. 6. de dolore pectoris. Hic dolor pectoris nonnunquam ſpeciem pleuritidis præ ſe fert, Medicíſque adeò impoſuit ut correptos quaſi pleuriticos curare tentarunt, nimiamque ſanguinis profuſionem præſcripſerint cum inſigni famæ jacturâ. 2. In dorſo & cruribus; dolor dorſi ſuas patitur exacerbationes, & dolor acutus cum vomitu conjunctus materiæ morbificæ copiæ eſt indicio: in ſexu muliebri dolores lumborum parturientium præ ſe ferentes, cum rubedine oculorum & ſpirandi difficultate copiam materiæ malignæ, eruptionem macularum inſtantaneam, ſanguineas excretiones, nimirum, menſium fluxum, vel urinam cruentam prænuntiant.

Inter actiones læſas recenſentur vomitus aliquando immanis propter Variolas ventriculum vellicantes

tes, qui ſponte ceſſat, Variolis fōras propulſis.

2. Signa Variolarum in fieri ab Excretis, ſcil. urinâ, hæmorrhagiâ, narium vomitu. 1. Urinam quod attinet, variè ſe habet; interdum nullam ſubit alterationem ſanorum ſimilis, aliquando eſt flammea, vel rubra, quoad conſiſtentiam ut plurimum eſt turbida & opaca, qualis jumentorum, quæ magnam humorum ebullitionem indicat, hæc urina potiſſimum indicat Variolas imminentes, quæ, materiâ morbificâ ad ambitum corporis propulſâ, evadit clara; verum enim verò quum Urina tam varios colōres & tam variam conſiſtentiam induit, certum judicium per Urinam ferre admodum difficile eſt, & ſpeculum ſuum magicum ὑρομαντεῖς intuendo, in prævidendo morbo ſæpenumerò hallucinantur, faniæque quam ὑροσκοποι aucupantur

tur, jacturæ periculum ſubeunt. 2. Hæmorrhagia narium non rarò accidit ob humoris acrimoniam, quæ ſi larga *fuerit inter initia morbum leviorem reddere ſolet plerumquè, inquit Senn. l. 4. de Febr. c. 12. p. 476.* Attamen nonnullos hæmorrhagias narium paſſos fuiſſe cognovi, quorum corpora Variolis ſcatebant. 3. Signa Variolarum in qualitatibus mutatis deprompta, ſunt faciei rubedo & inflatio, rubedoquè oculorum.

CAP. V.

De variis Symptomatibus in Variolis occurrentibus.

SYmptomata quorum Satellitio hic morbus ſtipatus apparet ſunt ſequentia.

1. Occur-

1. Occurrunt excretiones ſanguineæ à miaſmate Variolarum ſanguinem fundente, vaſorumquè oſcula reſerante, æſtu aeris adjuto. uti 1. Hæmorrhagia narium ante & poſt Variolarum exitum, quæ Correptis contingit imprimis in æſtate, quum ab aere æſtuante ſanguis fluidior exiſtit. Pleriquè omnes hunc ſanguinis fluxum ferunt ſine Variolarum ſubſidentiâ vel ullâ inſigni noxâ, quandoquè nimis profuſus evadit mortemquè infert. 2. Menſium fluxus qui multis fæminis ac virginibus contingit in principio & progreſſu morbi quibuſdam ſine incommodo, aliis verò funeſtus evadit. 3. Sputum ſanguineum in initio morbi.

2. Diarrhæa, à Variolis inteſtina irritantibus & ad excretionis motum ſtimulantibus. Ex ſententiâ vulgi, hæc evacuatio naturalis vel artificialis ægris multum officit,

ficit, propterea quod motum materiæ peccantis à centro corporis ad peripheriam impedit, vel ad interiora retroceſſum inducit; Sin experientiam conſulamus, comperimus aliter plerunquè Correptis accidiſſe. Pueros multos in principio, augmento & ſtatu morbi fluxu alvi laborantes ſine noxâ adverti. Fæminam quandam memini Variolis correptam copioſis, quæ multis diebus hâc evacuatione laboravit, ſine ullo incommodo memoratu digno; huic pulverem aſtringentem exhibui è Coral. rad. torm. gum. tragac. ſem. plantag. ſanguine draconis, troch. de ſpodio, concinnatum, ſed incaſſum, in ſtatu morbi diarrhæa ſponte deſiſtebat & convaluit. Virum memini qui poſtquam triginta ſedes habuit, quando Variolis decubuit, evaſit. Interdum fluxus alvinus accidit in initio morbi & ἀντεμάτως

ſup-

ſupprimitur; Variolis jam egreſſis. Experientia me docuit, Correptos in pejori eſſe ſtatu qui ſuppreſſâ quám qui ſolutâ ſunt alvo. Malè agunt Medici vel medicæ qui ægrotos conſtipatione alvi laborare permittunt ſex vel ſeptem diebus; fæces etenim alvinæ in Inteſtinis detentæ, putreſcunt, vapores acres ad caput emittunt, facultatem animalem perturbant, febremque adaugent. Melius ægrotis conſulunt, ut opinor, qui alternis diebus ſi alvus non reſpondeat voto, glande leni, excrementa alvi proritant. *Alvus niſi quotidiè officium ſuum facit, leniſſimo clyſtere vel glande ſtimuletur, Senn. l. 4. de febribus c. 12.*

3. Dyſenteria ortum ducens à materiæ morbificæ ἀναδόσει ſuper inteſtina, illorumque tunicas præ acrimoniâ corrodentis, & arteriarem oſcilla reſerantis, exindè tormina

mina ventris, copioſa ſanguinis profuſio, tandemque inteſtinorum ſphacelatio, quæ omnia indicant materiam morbificam, eſſe mali moris, motumquè ejus irregularem.

4. Inter Symptomata Variolarum Ptyaliſmum recenſeo, i. e. crebram & involuntariam humoris viſcoſi & fætidi ſputationem. *In uliginoſa noſtrâ Hollandiâ ptyaliſmus terminat plerunquè ſeu ſidiſſima criſis, febres etiam vehementiſſimas utiquè Variolas internas & interdum contumaciſſimas obſtructi lienis affectus, in quibus nonnunquam ejuſmodi ptyaliſmus excurrit ultrà menſis curriculum. Tulp. Obſ. l. 3. p. 240.* Advertendum eſt circa partes oris eſſe ductus ſalivales. *Stenonianos* exteriores & *Whartonianos* interiores per quos humores vitioſi & mucilaginoſi qui exigua renum aut cutis Colatoria

toria pertranſire nequeunt, ſubindè foras amandantur. Barthol. Epiſt. med. Cent. 3. 362, 389. Hanc ſalivationem obſervare eſt in febrium declinatione putridarum malè judicatarum, in tabidis deploratis. Id ſymptomatis in Variolis correptis videre eſt. Sanguinis depravati excrementa craſſiora ad hæc oris emunctoria deferuntur & ſputationem moleſtam cient, humor viſcoſus hoc pacto excretus aliquando fætidum expirat odorem. Juvenis quidam decimum octavum annum ætatis agens, aliquot ſeptimanis poſt Variolarum declinationem ptyaliſmo laboravit, cum gulæ & gingivarum aliquali eroſione, interdum è lecto elevatus, quo ſpiritum duceret, ad vitandum ſuffocationis periculum præ copia humoris in fauces decumbentis.

5. Symptomata Syſtematis nervoſi

vosi in considerationem veniunt; quæ sunt. 1. Passiones hystericæ in sexu fœmineo. 2. Motus tremuli & convulsivi in maribus. 1. Passiones hystericæ mulieribus accidunt aliquando cum Variolis decumbunt, quæ antehac in totâ vitâ haudquaquam huic morbo obnoxiæ fuerant. 2. Motus tremuli & convulsivi in maribus, pueris ac adultis: *Pueri sæpè epilepsiâ & convulsionibus tentantur imminentibus Variolis, cum ex humoribus vitiosis pravi vapores elevantur & Cerebri membranas vellicant; ex sententia cl. Sen. l. de infant. curatione p. 2. c. 10.* Qui Variolis jam egressis, cessant, & quandoquè paroxysmi convulsivi invadunt propter exanthemata subitò evanescentia. Adultis pariter contingunt à particulis materiæ morbificæ salsis & partes membranosas irritantibus, qui nonnunquam

quam in gutture exoriuntur, adeò ut de cujuſdam molis aſcenſu in gutture correpti querantur. Adoleſcens tertio die poſt Variolarum eruptionem de præfocatione in gutture querebatur; paulò poſtea diatheſis ſpaſmodica plexum nerveum ganglioformem a quo propagines in gutturis muſculos protenduntur, invaſit, reſpiratio dificilis, ἀπορία, deglutitio læſa excitantur, regio abdominis, manus pedeſquè convulſionibus corripiuntur, urina fuit ſuppreſſa horis 40, nulla adfuit ſalivatio exhibui Sp. C. C. & Julapium anti-ſpaſmodicum cum aliquali ſucceſſu, ſed ingruente morbi ſtatu, ex hac vitâ emigravit. In aliis adverti dentium colliſionem & ſtridorem ob convulſos temporum muſculos, labiorum motum tremulum cordiſquè palpitationem à materiâ malignâ nervos pericardii vellicante.

6. Multos Variolis laborantes ver-

mibus

mibus infestari potissimum in æstate principioque morbi compertum est. Senn. asserit p. 2. c. 2. 10. *Tantum in Variolis fuisse humorum corruptionem, ut sub crustis vermes reperti fuerint.* Apud. Tho. Barthol. Epist. Med. videre est historiam pueri 4 annorum Variolis decumbentis, *è cujus naribus vermis spithamæ longitudine extrahebant adstantes, quo extracto, è vitâ discedebat statim. Cent. 2. ep. 85. p. 681.*

7. Tormina ventris nonnulli in principio morbi experti sunt. Juvenis de lumborum, ventrisque dolore adeo acuto conquestus est, ut vix fuerit ferendo, adstantes vix eum in lecto continerent, Variolis se in conspectum dantibus, ad plures abiit.

8. In hunc censum veniunt macularum varia genera juxta materiæ morbosæ mineram & Virulentiæ gradus; varias corporis partes

partes occupantium, maxime collum & Thoracem; Hæ ſunt 1. Rubræ, Petechiis affines vel Pulicum morſibus perſimiles, puncturæ veſtigia ſi excipias. 2. Purpureæ, 3. Violáceæ & nigræ: Hæ ſunt Sanguinis portiones Veneno tanquam coagulo congelatæ, velutiq; πυρῶσιν affectæ prout in Gangræna videre eſt. Vide *Hodg.* de Peſte p. 141. Aliquoties hæc ſtigmata comparent ante & ſubinde ſimul cum Variolis, & præſagiunt Urinam cruentam vel menſium eruptionem. Mulier quædam in utero gerens Variolis correpta hæmorrhagiam narium paſſa eſt, fuit inquieta, de dolore dorſi immani conqueſta eſt, exhibui *Pul. Bez.* Magiſtralem quem magniſacio ex cochl. Syrupi è Corticibus Citri cum ἐυφορίᾳ, pacata jacuit, poſtea bis hæmorrhagiâ narium tentabatur, ſanguineaſq; excrevit urinas; dein mul-

multæ maculæ fatales nigræ & Violaceæ efflorescebant, Variolis interspersæ, nonnullæ fuêre in medio concavæ & in foveâ apparebant puncta nigra, fluxum sanguineum remediis alexipharmacis sanguinemq; sistentibus sistere satagebam; at in irritum cadebant conatus, febris perseverabat, omnia in peius ruebant, tandem abortum patiebatur vitamq; cum morte commutabat. Juvenem memini Variolis copiosis laborantem, maculis purpureis interspersis, salivationem per totum morbi decursum passum esse, tribus septimanis elapsis fatis cessit. In puella annum ætatis agente sextam vidi maculas nigras in collo, facie, labiis, linguâ, jacuit soporosa, delirans de dolore dorsi immani conquesta est, 14 diebus elapsis, asthmatica obiit.

9. Lipothymia nonnullos corripit quam particulis sanguinis coagulatis

agulatis & in corde vaſiſque annexis ſtagnantibus acceptam referimus, vel ſpiritibus fugatis. Hæc animi deliquia per totum morbi decurſum, at potiſſimum in ſtatu occurrunt.

10. Hiſce adde ſuppreſſionem urinæ. Semel inviſi adoleſcentem Variolis decumbentem diſuria laborantem, regionem Hypogaſtrii manu exploravi; tumor durus renitenſque eò loci tangenti manui occurrit, 14 diebus elapſis animum expiravit.

11. Agmen claudat καρδίας πάλμος ab humorum putredine & corruptione ortum trahens, vel a nervis cardiacis à materiâ ſpaſmodicâ irritatis dependet.

CAP. VI.

De Signis Prognoſticis.

REſtant ſigna prognoſtica quibus de ſalute & morte præſagiunt Medici. Hoc in genere advertendum eſt, hunc morbum nunc magis lethalem eſſe quám multis retrò annis fuiſſe, quod acceptum referimus potiùs ſanguini diatheſi morboſâ ſeminali depravato & inſigni alicui aëris ἀνωμαλία, quam Therapeiæ perperam adminiſtratæ.

Signa prognoſtica occurrunt ſalutaria, dubia, funeſta, quæ ſunt hujuſmodi.

1. In principio morbi cum ebullitio ſanguinis febrilis ſit moderata, non adſint vomitus immanes, aut acuti

acuti lumborum cruciatus, aut delirium; cúm circa diem tertium Variolæ in conſpectum veniunt, reſpiratio libera, Varioliſque egreſſis febris, ſitis, & ſymptomata maximè urgentia miteſcunt, non ſunt admodum numeroſæ, diſtinctæ, faſtigiatæ, multum ſalutis affulget ſpei.

2. Si in manibus & facie numeroſæ & exiguæ apparent, & paucæ vel nullæ in aliis corporis partibus erumpunt, *Correpti* interea temporis, febre, ſiti, inquietudine, reſpiratione difficili conqueruntur, in diſcrimine verſantur.

3. Infantibus pueriſque Variolæ erumpentes acervatim, inſtar ignis ſacri in partibus corporis inferioribus, malè ominantur.

4. Vomitus immanes, febris intenſa & perſeverantia febris ſitiſque, poſt Variolarum eruptionem magna inquietudo, pruritus admodum moleſtus, pervigilia, veternus, phre-

nitis, deliquia animi, cordis palpitatio, motus tremuli & convulsivi, rem periculo plenam significant.

5. Cruciatus insignes in lumbis, cum respiratione difficili, anxietate quum huc & illuc jactantur ægroti, & rubore oculorum conjuncti, naturæ oppressionem materiæ morbificæ copiam significant, maculas purpureas vel Violaceas, sanguineas excretiones, nempe, urinam cruentam vel mensium fluxum prænuntiant mortemque intentant, rarò vel nunquam evadunt.

6. Maculæ diversicolores Variolis interspersæ periculum portendunt, Rubræ omnium tutissimæ sunt, in pueris non sunt adeò funestæ ac in adultis, multi cum his evadunt. 2. Nigræ sunt funestæ, tristis Lethi præcursores. Color niger censetur ominosus. Vide Barthol. de luce Animalium

p. 172.

p. 172. τὰ πιλιδνὰ γινόμενα ἐν πυρετῷ σύντομον θάνατον σημαίνει, est effatum Hippocratis; hæ maculæ nil aliud sunt quam sanguinis siderationes, apparent subinde in medio Variolarum. 3. Ad hunc censum pertinent maculæ violaceæ, quæ sunt pessimæ mortemque prænuntiant. S. H. Adolescens veneno Variolarum correptus de acerbo lumborum cruciatu conquestus est, consilio adstantium qui pleuriticum esse censebant venæ-sectio in brachio fuit celebrata, & sanguis ad ℥iiii præterpropter efluxit, at sine levamine. Ad illum accersitus fotum ex emollientibus & anodynis concinnatum cum ὑφερία consului, & Bolum diaphoreticum bis exhibui, exeunte quarto die delirabat, vigilabat, oculi fuêre inflammati, spirabat difficulter cum anhelitus fœtore, urina fuit cruenta, febrisque intensa,

maculæ violaceæ per totum corpus erupêre, nonnullæ denarii aream exæquabant, quinto vel ſexto die morbi naturæ penſum perſolvit. Interdum totum corpus maculis violaceis ſcatet,& pauca vel nulla apparent tubercula. In puero quamplurimas maculas violaceas vidi, cujus corpus velut floribus violarum interpictum fuit, paucas Variolas vidi, jacuit elinguis & ſoporoſus, circa quartum diem mortem obiit.

7. Dyſenteria mortem portendit, maculæ purpuraceæ cum dyſenteria cruenta (quod in adoleſcente animadverti) ſunt funeſtæ. *Ex omnibus pueris Variolis laborantibus quos mihi* (*ita loquitur* Riverius) *totâ vitâ videre contigit, hic unicus fuit qui ex alvi fluxu ſanguineo evaſit, ſed in cæteris certum mortis præſagium fuit, magnâ præſertim ſanguinis*

guinis copiâ affluente.

8. Inter ſigna mala recenſetur Delirium. Ἐν πασῃ νόσῳ τὸ ἐρρωδέειν τὴν διάνοιαν χεῖρον ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθὸν, τοῦτο ἐναντίον, κακὸν, inquit Hipp. l. 2. Aph. 33. Deliria quæ contingunt in primo hujus morbi inſultu ante puſtularum exitum periculum vitæ non minantur, niſi alia ſigna lethalia ſimul apparuerunt, ceſſant etenim ut plurimum, Variolis jam egreſſis; at ſi ægrotantes poſt ſomnos profundos, delirant in morbi augmento, vel ſtatu, & ſi Delirium in ſtatu morbi non ſit Vigiliarum effectus (quod interdum accidit) ſed ex vi morbi profluit, res eſt in anguſto, in magno verſantur periculo.

9. Ægri ſoporoſi ægrè convaleſcunt, adoleſcentem & mulierem dormientes mortem obiiſſe cognovi.

10. Παλινδρομία Variolarum in-

ter ſigna recenſetur funeſta. Interdum propter frigoris ſuſceptionem, vel ſpirituum defectum, vel materiæ morbificæ redundantiam, quam natura ſuccumbens ad ambitum corporis expellere nequit, Variolæ ad interiora recurrunt, viſceraque interna occupant, & non ſolum ſanguinem inquinant & putrefaciunt, ſed & ſucco nervoſo lymphæque magnam aſpergunt labem, adeò ut ſuis officiis ad Biolychnium perenandum defungi nequeant.

11. Qui Londini Variolis inficiuntur, ſtatimque duorum vel trium dierum iter conficiunt, propter humorum agitationem & perſpirationem impeditam, rarò evadunt.

12. Diarrhæa fluxuſque menſium ſunt ſigna dubia at non funeſta; memini virgines quarum corpora Variolis ſcatebant, quæ Diarrhœâ ménſiumque fluxu ad ſtatum uſq; morbi laborabant, evaſêre. Puerperas

erperas novi Variolis affectos cum lochiorum fluxu, convaluisse; exemplum hujus rei apud Will. l. de febribus p. m. 297 videre est

13. Si tumor faciei nimis citò subsidat cum recursu Variolarum, non parum immineat periculi.

CAP. VII.

De Variolarum Therapeia.

METhodus Therapeutica duas præcipuas suggerit indicationes, *viz.* curatoriam & vitalem. Curatoria quæ morbum spectat de quâ primò dispiciendum est: Morbus de quo sermonem instituimus sua habet tempora, ideoquè intentiones curativæ hisce quadrare debent. Quare advertendum, quid agendum est in singulis hujus morbi stadiis. In principio methodus therapeutica has

potiſſimum intentiones medendi ſuggerit; nempe 1. Ut exitum Variolarum prohibentia removeantur. 2. Ut exitus Variolarum adjuvetur. 1. Incumbit Medico removere Variolarum egreſſum prohibentia: hæc ſunt. 1. Cacochymia in viſceribus. 2. Sanguinis plethora in vaſis.

1. Cacochymia in viſceribus in conſiderationem veniat; hæc tutò evacuari poteſt paulò antè vel in primo inſultu ſanguinis fermentationis ἐκκοπρωτικοῖς medicamentis (*correpti* etenim ſunt facilis ſolutionis) vel leni emetico. Purgationes naturâ vel arte inſtitutæ apud vulgus malè audiunt, quod nimirum materiâ peccans à peripheriâ corporis ad centrum attrahitur, vireſq; proſternantur; at hæc evacuatio non tam exitiales edit effectus uti multi autumant: natura non rarò in principio morbi fluxum

al-

alvinum molitur cum levamine, parte oneris depositâ. Quo natura premitur se accingit alacrius ad exituram Variolarum promovendam. Vide *Trentz.* p. 96. Exonerat partem materiæ peccantis quæ habet rationem causæ febris antecedentis, præcavet ventriculi ægritudinem, viam sternit specificis mox subsecuturis ut liberior aperiatur in vasa chylifera transitus. *Si Diarrhœa fuerit in principio non nocebit, inquit Epiph. Ferdinandus.* Amplius, purgatio minorativa ex usu erit revulsionis gratiâ, quum materies morbifica caput vel gulæ glandulas invadit, aut anginam minatur. Corydon quidam nuces parvas ingurgitavit, exinde male habuit, hoc tempore illum incessit Variolarum contagium, vomitorium obnixè efflagitavit, quod operationem suam commodè peregit: postridiè Variolis apparentibus sponte,

me

me inſcio, cepit tres pilulas purgantes & ſex habuit ſedes, & benè habuit per totum morbi decurſum.

2. Plethora ſanguinis in vaſis. Quod ad ſanguimiſſionem attinet, quâ plethora ſanguinis diminuitur, quibuſdam caſibus laudabili cum ſucceſſu celebrari poſſe cenſent non infimi ſubſellii Medici. Vide ciſtam medicam Barthol. p. 600. *Sanguis extrahendus eſt intrepidè contra mentem illorum, qui humorum retroceſſum timent, quoniam hoc ſpreto remedio plerunq; æger copiâ obrutus ſuffocatur, vel nonnunquam immedicabilia ſymptomata ſubcreſcunt, quæ difficulter admodum corriguntur; tantum enim abeſt ut venâ ſectâ, retrocedat humor, quin potius levatâ ſarcinâ, natura eum ad circumferentiam expellat, ut etiam apparentibus exanthematis; ſi plethora adeſt, ſanguis mittendus, hanc conjicies ex venarum tumore, tactu*

mordaci

mordaci, rigoribus continuis & inordinatis ait Font. p. 119. *Vide Senn. p.* 418. Mos ſanguimiſſionis in Variolis apud Ægyptios obtinuit, atteſtante Proſ. Alpino libro de medicinâ Ægyptiorum l. 2. fol. 43. *Sed ut particulatim rem colligam, ac perſtringam; dico eos confugere ad miſſionem ſanguinis in omnibus putridis febribus peſtilentibus atquè in omnibus internis inflammationibus. Quin ſi dyſpnæa adfuerit cum exanthematibus, interdum ad phlebotomiam venimus. Ita nobil. Comitiſſæ Egmondæ Franciſcæ Admirallii filiæ venam pertundi juſſi, cum exanthemata non ſatis prodirent idque felici ſucceſſu, inquit Heurn. in Aph. Hipp.* 15. *p. m.* 102. Ludovico 14 Galliæ rege Variolis malignis correpto ter venæ-ſectio fuit adminiſtrata, perhibentque regem Galliæ jam regnantem 10 vel 11, & regem Hiſpaniæ anno 1673 multoties fuiſſe

isse phlebotomatum. *Multos cognovi 5 vel 6 in unâ familiâ adultos qui suapte naturâ hæmorrhagias narium passi sunt usque ad* 18 *vel* 20 *uncias sanguinis magno cum commodo, inquit Stubs in responso contra Thoms. aliosque p.*214. *Vide Will. de febribus p.*262, 267. Ego quidem nunquam hanc evacuationem ex professo præscripsi ante Variolarum egressum, at nil dubito quin interdum ex usu erit si prudentiâ medicâ administretur. Non abs re fore videtur si casum unum memoratu dignum in medium proferam. T. S. Variolis correptus in principio morbi in hæmorrhagiam narium incidit, sanguisque profluebat ad uncias ad minimum septem, quam evacuationem citra noxam ferebat, pustulis abundavit, decimo tertio die morbi de punctura lateris sinistri conquestus est, dyspnœâ, tussi dolorifica,

fica, ſputum fuit craſſum cui paululum ſanguinis permixtum eſt, alternis diebus febricitabat; dolor lateris pungens, ingruente paroxyſmo febrili, qui ferè Typum Tertianæ referebat, recrudeſcebat; eodem tempore dolore ventris tentabatur propter inteſtinorum diſtentionem cum aliquali urinæ ſuppreſſione; ſuppoſitorium lene in anum immitti curavi, & ſaccum avenâ toſtâ imo ventri admovendum conſului cum laudabili ſucceſſu, unam vel alteram ſedem habuit & libras duas circiter urinæ excrevit, venam in brachio tundi juſſi & effluxit ſanguis ad uncias 4 vel 5, quo pacto dolor lateris fuit ſedatus & ægrotantem ab Orci faucibus σὺν θεῷ vindicavi. In declinatione morbi macilentus & ſurdus evaſit, at impræſentiarum ſatis commode ſe habet. Multiplici experientia conſtat

ſtat multos hoc affectu laborantes ſanguineas excretiones pati, nimirum, hæmoptyſin, hæmorrhagias narium, ſine diris ſymptomatibus. In ſententia ſunt nonnulli, Medicum naturæ miniſtrum, hunc naturæ motum imitari debere; ſed de hoc nonnihil occurrit dubii, ſiquidem hæ ſpontaneæ ſanguinis profuſiones non ſunt criticæ ſed ſymptomaticæ, quæ non ſunt à Medico imitandæ. Verumtamen quum evacuationes ſunt potius proficuæ quam exitiales in plethoricis ut obſervatione conſtat, profuſio ſanguinis artificialis tam malè audire non debet apud vulgus. Vide Barthol. ciſtam medicam, 51,603, de medicina Danorum p. 428, 429. Quando pororum conſtrictio adeſt, magna ſanguinis ebullitio cum plethorâ quoad vaſa conjuncta, adeoque natura humores regere non valeat, ſed imminet periculum alicu-

jus

jus vaſis ῥήξεως vel materiæ morbificæ ἀναδόσεως ſuper viſcera, dyſenteriam vel ſuper renes urinam cruentam producentis, in hoc caſu, ni fallor ſanguimiſſio diminuta ægrotum ſublevabit, impedit enim ſtagnationem ſanguinis in præcordiis, habitum corporis relaxat, perſpirationem promovet. Vulgaris objectio venæ-ſectioni adverſans in Variolis, ſic ſe habet. Trahit à circumferentia corporis ad centrum & ex conſequenti materiam ροτικὴν, & præterea vires atterit, contra indicationem vitalem cujus ductum potiſſimùm ſequi medico incumbit. At huic objectioni ſatisfacere ſatagunt nonnulli, reſpondendo quod phlebotomiâ diminutâ natura parte oneris depoſitâ, faciliori negotio ad ambitum corporis Variolas exterminat.

Hiſce prælibatis de remotione exitum Variolarum prohibentium,

viz.

viz. cacochymiæ & ſanguinis plethoræ, proximè ſequitur ut ſermonem inſtituamus de Variolarum expulſione. In dubium vocatur an auxiliantem huic morbo manum miniſtrare debeant Medici, propterea quod Variolarum eruptio ſit criſis febris vel motus criticus, quo tempore omnia naturæ rectè agentis ductui ſint committenda ratione diætæ bene inſtitutâ, & Medicos quod attinet eſſe ſpectatores non actores ex præcepto Hippocratis oportet, τὰ κρινόμενα καὶ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κίνειν μηδὲ νεωτεροποιεῖν μήτε φαρμακείοισι μητ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν. 1 Aph. 20. Non eſt extra dubium eruptionem Variolarum eſſe verè criticam; niſi male memini Zibeſius in tractatu de Variolis negat eſſe propriè dictam Criſin, & ſententiam rationum momentis non contemnendis munit. Sed hoc ſuppoſito, quod expulſio Variolarum ſit

ſit criſis febris putridæ, attamen quando natura non rectè ſe gerit ſed peccat vel in defectu vel in exceſſu, Medicus naturæ miniſter, ſuppetias naturæ ferat oportet,& in hoc caſu quamvis Variolarum expulſio ad ambitum corporis ſit criſis vel motus criſi analogus, quando motus hic ſit tardus obſtetricatur ἰατρικὴ, Variolæque non ſunt probe figuratæ vel coloratæ, vel ſymptomata ſupervenirent mala, vel aliquid humanitus accidat, nimirum, animi deliquia, evacuationes immoderatæ, Variolarum ſubſidentia, Medicus debet eſſe Actor non Spectator, ſedulamque navare operam, ut omnes naturæ functiones ritè peragantur. Curriculo duorum dierum ut mea fert opinio,à remediis expulſivis abſtinendum, poſtea pro re natâ ſunt exhibenda. Variolæ, ſi ſint paucæ & benignæ ſolâ victûs ratione, quam

Hip-

Hippocrates tutiſſimam medicinam appellavit, curari ſolent, & nonnunquam officioſa ſedulitas plus obeſt quam prodeſt. At ſi natura Variolas ſegnitius emittat, quod innoteſcit febris ſitiſque perſeverantiâ, vigiliis, inquietudine, delirio, dyſpnœâ, ſuppetiæ naturæ ferendæ, motuſque à profundo corporis ad ambitum auxiliis diaphoreticis adjuvandus eſt. In decurſu morbi vires Cardiacis temperatis reficiendæ, malignitas morbi Alexiteriis oppugnanda, leniſque diaphoreſis continuanda. Huic uſui inſerviunt pulveres & julapia expulſiva. E. G. ℞ Spec. de Hyacintho, è chelis cancr. comp. ʒß lapid. Bez. gr. 7, m. f. pulvis pro duabus doſibus, capiat unam ex cochl. Syrupi citr. & ſuperbibat ejuſdem Syrupi aliud cochlear vel Julapii appropriati hauſtum, poſt 6 horarum intervallum capiat alteram.

ram. ℞ lapidis contray. antimonii diaph. à ʒß cocc. baptiſt. ʒi cum ſ. q. mucilag. gum. tragac. f. Tabellæ, doſis ϑß ad ʒß Ad hunc cenſum pertinet Spiritus C. Cervi ter in die exhibitus ad gutt. 10 vel 12 in liquore poſſetico, vel Julapio appropriato.

℞ Pul. Gaſcon. rad. contray. Serp. Virg. à ϑi. f. pul. detur in cochl. aquæ theriacalis ſuperbibendo hauſtulum ejuſdem aut Julapii Cardiaci.

Qua methodo quibuſque potiſſimum remediis ſymptomatis hujus mali urgentibus occurrendum?

Medico incumbit non ſolum ad hunc ſcopum collimare ut motus naturæ expulſivus adjuvetur, ſed etiam ut ſymptomatum maximè urgentium furorem compeſcat, quæ

ægrotos

ægrotos in periculum vitæ præcipitant.

Hæmorrhagia Narium.

Ad Hæmorrhagiam narium ſiſtendam turundâ utemur confectâ è foliis urticæ urentis contuſis & pulvere fuliginis è fundo lebetis collecti, naribus inditâ. Sacculus cui inerat Bufo exiccatus & contuſus circa collum ſuſpenſus Hæmorrhagiam narium ſedavit in Adoleſcente Variolis decumbente, teſtante Williſio l. de febribus p. 266.

Oris Vitia.

Ad Gulæ, faucium, oriſque defenſionem, nè nimium expellantur Variolæ utemur hac oris collutione à Regio præſcriptâ, *viz.* ℞ Aquæ plantag. ℔i aquæ hordei ℔ß. florum roſ. rubr. p. i. Balauſt. ʒiß ſemen. ſumach. ʒii decoque ad Tertias, Colaturæ adde diamori, ſyrupi granat.

ana ʒi m. f. Gargariſma. ℞ diamori ʒiiii mel. roſati ʒii Aquæ roſar. ℔i Olei ſulph. q. ſ. ad gratam aciditatem. f. Garg. ℞ Cortic. inter. ulmi ʒiii decoque in ℔iii aquæ fontanæ ad ℔i Colaturæ adde diamori, ſyrupi granat. cum Aceto ana ʒi. Frequenter lambat ex baculo glyc. hunc linctum, ℞ Syrupi Granat. cum aceto ʒii ſacchari penid. ʒiii, Syrup. è roſis ſiccis, diamori ana ʒß ſpec. diatragacanthi frigidi ʒiii, Anyli ℈ii. Miſce.

Vigiliæ nimiæ.

Contra vigilias nimias capiat æger diaſcordii ʒii vel diacodii ʒii vel ʒß in aquâ papaveris erratici. Tempora inunguntur oleo chym. nucis myriſticæ.

Deliria.

Si deliria ſuperveniant pleriq; commendant pullos columbarum vivos per medium diſſectos, plantiſq;

tiſq; pedum admotos, veſicatoria etiam ſcapulis applicata ex uſu erunt.

Iſchuria.

Contra Iſchuriam Julapium ex aquâ petroſelini, ſpiritu bacc. ſambuci, cum pauxillo pulv. ocul. cancror. & Syr. de althæâ, cum ſucceſſu propinavi.

Fluxus menſium nimius.

Contra fluxum menſium nimium, D. Will. l. de febribus, p. 288. hanc methodum præſcripſit ſucceſſu probatam. ℞ Rad. torm. ʒii boli Arm. ʒi ſpec. de Hyac. ʒß m. f. p. ℞ Aquæ ſcordii comp. dracuntii ulmariæ ana ℥iii, aceti ther. ℥ß ſyrupi è Coral. ʒii C.C. uſti ʒß, capiat ʒß pul. cum cochl. tribus Julapii, intervallis 3 horarum. Ad ſiſtenda Lochia conducunt rad. torm. & biſtortæ in ægrot. juſculis incoctæ; Pulveres & julapia

lapia vi astringenti & Alexiteriâ pollentes exhibeantur.

Alvi fluxus.

Contra alvi fluxum conducunt conserva ros. rubr. C. c. ustum, trochisci de terra Lemniâ, diascordium, semen Coriandri, Cinnamomum, cocc. baptist. Julapia, ex aqua plantaginis, cinnamomi, hordeatâ, cydoniorum, germinum quercus cum diascordio & Syrupo è Coral. vel è rosis siccis concinnata.

Convulsiones.

Contra motus convulsivos veniat in usum hic pulvis, *viz.* ℞ Margarit. P.P. spec. de Hyacintho, coral. rub. P.P. succini albi rad. pæoniæ, semen. ejusdem, Rutæ, cranii humani, ana ℈ß ungulæ Alcis ℈ß f. p. subtil. capiat è Julapio specifico, plurimum valet Sp. C. C.

Hisce prælibatis de Indicatione

therapeuticâ proximè ſequitur ut ſermonem inſtituamus de Indicatione Vitali, quâ includuntur ratio victus & medicamenta Cardiaca in Variolis requiſita. Quod ad Regimen attinet benè inſtitutum ad ægrotantium ſalutem plurimum valere experientiâ conſtat, quod nec calidum nec frigidum, ut mea fert opinio, ſed temperatum eſſe oportet. Medico incumbit miniſtriſque operam navare ut temperies & motus ſanguinis in tenore æquabili conſerventur nè febrile Incendium accendatur, victus ſit tenuis præſertim à primo die ad quartum ac Alimentum ſit medicamentoſum. Cibi ſint ἰυχύμοι καὶ ἰυπέπτοι, craſſi evitentur. In uſu erit edulium quod Panatellam vocant, abſtineant a liquoribus valdè ſpirituoſis vinoque generoſo. *Cavendus magnoperè vini uſus, præſertim ubi febris adſuerit, quippe*

*quippe quod & febri focum accenderet & paroxysmis epilepticis, convulsionibus, ipsique morti etiam ansam præberet, Trentzelius p.*100. Vim narcoticam habere asserit Platerus, praxeos, tr. 1. l. 1. c. 2. p. 31. & 107. *Turcæ & Ægyptii vino quasi opii succedaneo utuntur; Prosp. Alpinus de medicina Ægypt. l.* 4. *c.*48. Potus sit liquor poliet. rasura C. C. & Calend. floribus alteratus; vel cerevisia tenuis. Somnus & vigiliæ mediocriter se habeant. Evacuationes consuetæ secundum naturæ modum procedant, fugiantur timor & tristitia, hæ etenim animi passiones sunt motivæ ad intrà, per totum morbi decursum lectis sint affixi nè diaphoresis inhibeatur sed stragulis ne sint nimis cooperti.

Quæsitu hic loci dignum est, an regimen calidum vel frigidum sit ægrotis periculosius; si fas sit mihi

meas proponere conjecturas, experientiâ edoctus existimo regimen plus justo calidum esse periculosius quám frigidum. Observatione constat plures æstate Variolis denatos fuisse quám in Hyeme. Apud nos in quadrâ anni vernali & ineunti æstate imprimis hic morbus suam peregit tragœdiam. Quod manifestum evadit si ad calculos vocemus eorum numerum qui nostro oppido & parochiâ in censum Libitinæ adscripti sunt annis numeris 1671, 1672. In mense Junio, numero 6. Julio & Augusto 11. circiter Sept. 2. Octob. 3. Decemb. Januar. Feb. 1. tantum 1672. In Martio 3 vel 4. In Maio 11, Junio 8. Jul. 1. Aug. 5. Sept. 1. Octob. 4. Consuetudo invaluit apud mulieres clinicas & Medicastras quæ therapeiam hujus morbi optimè se callere venditant regimen nimis calidum imperare. Ad re-

re-focillandas vires valde ſpirituoſos propinant liquores quibus ſanguis nimis efferveſcit, febris accenditur & œconomia animalis perturbatur, Nonnullos correptos cibis ſolidis farciunt ſcil. carne porcinâ (quæ perſpirationem impedit juxta Sanctorii ſententiam) braſſicâ porris, puſticulâ, ut Variolæ, ſcil. turgeſcant, ſic. ludunt Corio humano & *Patientes* cum *Paracelſo* pleno ventre curant.

Quod medicamenta Cardiaca attinet plurima recenſentur à Practicis, quæ in hunc elenchum conjiciantur. Aquæ ſcilicet ſimplices & compoſitæ, *viz.* aqua florum Calend. C.B. Dracuntii, meliſſæ, ulmariæ, Totius Citri, florum Aurant. Compoſitæ; theriacalis, ſcordii, Bezoard. angelicæ: epidemica, Pulveres Cardiaci viz. pulvis è chelis cancrorum compoſitus, Bolus Armenus diaphoreti-

cus, ſpecies de hyacintho, pulvis cocc. Baptiſt. Antimonium diaphoreticum, Bezoard. minerale, lapis Bez. Pul. contrayervæ, Serp. virginianæ, Pul. Mag. Bez. (quo vix datur præſtantius remedium præſertim quum *Correpti* jactatione, dolore vigiliiſque nimiis laborant) Lapis contrayervæ. Pulvis Bezoard. Will. Pharm. Ration. p. 139. Syrupi viz. Garyoph. lujulæ è ſucco & corticibus Citri. Electuaria ſcil. ex ovo, diaſcordium, Theriaca Andr. & Londinenſis decocta, ſcil. ficuum (quæ inſignem vim habent pellendi humores ad cutem juxta ſententiam Senn.) florum calend. C. C. raſpati in liquore poſſet. formulas quaſdam ſubdere non abs re erit, judicio pollentes pro re natâ formulas aptas concinnare poſſunt. ℞ Aqu. dracuntii ulmariæ. C. B. ana ℥iß. Pul. rad. contray. antim. diaph. ana gr. 6.

conf.

conf. Alch. vel de hyacintho ℈ii Syrupi garyoph. vel è corticibus Citri ʒi. miſce f. Jul. ℞ aq. flor. calend. C. B. ana ʒii ß ſcordii compoſ. ʒiß Tinct. croci ʒß Syrupi garyoph. è cortibus Citri ana ʒi m. capiat cochl. 4 tertiâ quâque horâ. ℞ C.C. Raſpati rad. ſcorz. ana ʒß flor. borag. bugl. calend. a. Mß coq. in ſ. q. aquæ hordei vel liq. poſſ. ad ℔iß ; colaturæ adde Syrupi garyoph. Lujulæ ana ʒiß. Aquæ ſcord. comp. Ther. ana ʒii ſumat. ʒiiii 3 vel 4 quaquè horâ tepidè.

Q. 1. An ſudorifica in Variolis ſint exhibenda? Aff.

Si Variolæ ſint mali moris, potiſſimum ſudorificis inſiſtendum In Hyeme & corporibus denſi habitus ſunt proficua nam; 1. Humores attenuant & viam ſternunt Variolarum expulſioni. 2. Cauſæ morboſæ expulſionem adjuvant,

poros

poros corporis aperiunt, per quos Variolæ emergunt ſed caute ſudorifica ſunt exhibenda eorumq; delectus habendus. 1. Temperata ſunt præferenda. 2. Moderatè ſunt exhibenda nè humor qui Variolas turgeſcere facit exhalet, & vires atterantur. 3. Ex eorum numero eſſe debent quæ Alexiteria appellantur; ut ſimul etiam fermentum morboſum infringere valeant. 4. Uſus eorum eſt protrahendus ad tertium diem quando fermentatio ſanguinis febrilis ſit parum remiſſa.

2 ℚ. Quo in caſu Cardiaca calida in Variolis conferant? *Cardiaca moderata aliquoties in die propinare ſolemus, calida autem & fortiora ſedulò vitentur. Will. l. de febribus* 263. Cæterum ſi contingat Variolarum recurſus locum habent Cardiaca calida, ſanguinem etenim exagitando expeditiori in orbem motui reſtituunt.

Quando-

Quandoque in ſtatu morbi *Correpti* de deliquiis animi querantur ab errore externo vel ſanguinis ſtagnatione in corde vaſiſq; appenſis cum dyſpnoeâ, febre abſente; in hoc caſu experientiâ didici cardiaca calida, ex aqua Bez. Tinctura cinn. ſine moſcho concinnata profuiſſe, ſanguinem fluxilem reddunt, ſpirituſque animales exuſcitant.

3 Q. An ſcabies & pruritus ſint contra Variolas, προφυλακὴ? N.

Vulgaris invaluit opinio ſcabiem ac pruritus infantes defendere contra Variolas, propterea quod hi morbi ſanguinis impuritates ad corporis habitum eliminant; at huic opinioni experientia refragatur, ſcabiè & pruritu affectos Variolas corripere non ſum inſcius, è quibus nonnulli Variolas in toto corpore conſitiſſimas habuere & ſatis conceſſêre.

An

An Phantaſia Variolas producere poſſit. A.

Phantaſia cum ſit facultas cognoſcitiva cujus actus eſt immanens, non eſt principium motus elicitum, non movet per ſe & directè facultatem locomotivam, ſpiritus vel humores, nec formaliter per ſe alterare corpus poteſt; Attamen per accidens & indirectè, mediantibus operationibus aliarum potentiarum, ſeu humorum modificandi, ſeu determinandi motum ſanguinis, vel humorum verſus hanc vel illam partem; movet ſalivam ad os, videntes alios oſcitantes, oſcitamus. Et vim habet dirigendi facultatem conformatricem, ſignaturas fœtui imprimendi. Cujus rei exempla paſſim extant. *Ipſe vidi fœminam cui gravidæ ſub Moro ſtanti, mora aliquot in dorſum inciderunt, unde Infans ex ea natus totidem excreſcentias mororum figuræ ſimi-*

les in dorso habuit. Senn. l. 5. p. 2. sect. 1. c. 5. Fæmina quædam prægnans Cerasa concupivit & potiri non potuisset, in filio vidi maculam rubram in maxillâ quæ cerasum referebat. Altera uvarum desiderio flagrabat, in nucha filii vidi verrucam botro uvæ assimilem. Phantasia primò mediantibus animi passionibus viz. Timore, vel tristitiâ & mediante motu humorum & spirituum, humores vitiosos in corpore latentes agitat & in motum deducit: per nimiam imaginationem de peste plurimi in pestem incidunt, uti referunt Authores vide Senn. l. 4. c. 1. de febribus & c. 2. Aliquot præ timore unâ nocte canos evasisse; *alium ad supplicium ductum solo linteo aquâ frigidâ in collum percussum mortuum concidisse memorant. Fienus de viribus imaginationibus*, p. 322. Cl. Boyl. refert de quodam

Cen-

Centurione qui mortis imaginatione forti unâ nocte, canus evasit. De repentina canitie è mærore & timore subortâ exempla collegit Marcellus Donatus de Hist. med. mirab. l.1. cap 1. & imaginationis miros affectus recenset, l.2. c.1. Quod ad rem proprius attinet habes exemplum a cl. Boyleo allatum de quadam dominâ, lib.2. de utilitate Philosophiæ experimentalis, s. 5. c. 14.

FINIS.

MVSEVM BRITAN NICVM

MVSEVM
BRITAN
NICVM

℞ Aq. Card. B. Meliss. Dracont. an
℥iij. Theriacal. ℥iß. Syrup. Caryophyl.
℥ß. Margarit. ℥ß. m. f. Julap. ca-
piat Cochlear. 6. 6ª qq hora.
℞ Conserv. Caryophyl. ℥ij. Diacord. ℥ß.
Margarit. pul. gr. viij. Diacod. ℥ij.
m. f. Bolus, capiat hor. sonij superbiben-
do haustul. Julap. pro sorore Eliza-
beth. ex Consilio Dnis Denton & Willis.
Pro Gargarismo laudat D. Willis De-
coct Cortic. inter. ulm. cum Syrup.
Diamoron, & de Rub. Idæ. addendo
spirit. vitriol. q. s. ad grat. acorum.
℞ Sacchar. Cand. pul. ℥iij. Catechu.
gum. Tragacanth. an ℥i. Mel.
Ros. ℥i. Syrup. Jujubin. q. s. ad Con-
sistentiam Liniment. m. q. oris partes
ulcerosæ illinantur.

℞ Sumitat. vlmar. ~~flor. Parietar.~~ Plantag. an
mj. Rad. Alth. ℥vi. Glycyrrh. ℥ß.
pijub. no xij. Coricar. no iiij. Hord. per-
lat. ℥iij. Fragor. mj. Aq. font. libiß.
f. lent. Decoct. ad libj. Colatur. adde
Diamor. Syrup. ē Bac. sambuc. an ℥i.
Spirit. vitriol. q. s. ad lev. acorē.
m. f. Gargarism.

℞ Cortic. jnter. vlm. ℥iß. Balaust.
flor. Ros. rub. an ℥ij cogu. ex
Aq. Hord. ad libj. Colaturæ adde
Diamor. Diacaryon. an ℥ß.
Sal. prunel. p. ℥ß. m. f. Gargaris.
Gargarism. ex Aq. Ros. cū ovor. albu-
min. in aquā agitat. & sacchar. cand.
jn pretio habetur.
Spiritus vitrioli jn præparatione Magis-
ter. perlar. adhibitus & effusus, liquor
perlatus vocitatur & in oī potu jn vario-
lis vtatur, hinc spiritus acidiusculus solū ē pa-
terea subtilioribus, volatilioribusq perlarum partib.
jmbuitur.

℞ Aq. Ceras. nigr. ℥iij. Dracont. ℥iß.
Scord. C. ℥ij. Menth. ℥j. Theri-
acal. ℥vi. Epidem. ℥j. Marga-
rit. p. ℥ij. Jacchar. Cand.
q. s. ad grat. sapor. f. mixtur. Cordi-
ac. capiat agitando, Cochlear. 3 + 4.

℞ Aq. Flor. paralys. ℥ij. Scord. C.
Theriacal. an ℥ij. Syrup. e Mecon.
℥vi. Tinctur. Croc. ℈j. m. f. haust.
nocturn. frequenter reiterandus.

℞ Decoct. pectoral. sine Hyssop. (ad-
dendo Rad. Scorzoner. ℥ß. Rasur. C. C.
Corn. Cerv. Calc. an ℥iß. fragor. m. ij)
libij. Colatur. calent. adde Flor. papa-
ver. Rhoead. paralys. an mj. extrahatur
Tinctur. & adde Syrup. e Suc. & Cortic. Citr.
an ℥iß. Aq. Theriacal. ℥ij. Confect.
de Hyacinth. ℥iß. m. f. Tinctur. Croc. ℥ij. Pec-
toral. capiat, agitando, ℥iij. Epidem. ℥
qq hor.

Flos sulphuris, sem. Lin. & Decocto
Pectorali pro renata addatur.

℞ Suc. Calcitrap. rite ppt. ℥vi. Ag. vit.
℥ij. m. f. Collyrium, q. foveant oculi tepidi
bis in die p. mensem ad maculas in oculis post
variolas, vel ℞ Antimon. crud. crassi pul.
Lenodulo suspens. ℥iij. infunde in Ag. font.
libiss. calidi p. hor. 12. deinde coque ad 3as sub
fine adde Rad. gre. Florent. ℥ss. Flor. Ros.
rub. & Anth. ana mss. in Colatura dissolve
sacch. Crystallin. ℥j f. Collyrium q. fove-
ant oculi tepidi bis ter in die.
si ulcus remaneat in Cornea post suppu
ratione in Cornea ita prescribatur
℞ Ag. Plantag. Foenicul. ana ℥iiij. Tut.
ppt. ℥iss. Aloës opt. ℥ss. m. f. Collyrium,
sequens etiam prodest, ℞ Fol. Agrimon. Plan
tag. ana ℥iij. Rad. gre. Flor. ℥iij. Flor. Ros.
rub. p. ij. coque in Ag. font. ~~ad~~ libi. ad
3as in Colatura dissolv. sacchar. Crystal.
℥iij. m. f. Collyrium.
℞ Ag. Plantag. Ros. rub. ana ℥iiij.
Tut. ppt. ℥iss. sacchar. saturn. ℥ij.
m. f. Collyrium ad vuae prolapsum impe-
diend.
Sidobre.

℞ Corol. rub. ocul. cancr. Quinquin.
ana ℥ß. Rhe. elect. ℥ij. cum syrup. de Ros.
pic. f. elect. detur sub hora somni, ne
Lac asininum mane coaguletur.
Si pus in suppuratione ~~[illegible]~~ aspe-
brarum oculos inundat sequens decoctum prodest
ad pus diluendum et eluendum
℞ sem. Lin. Fœnugræc. ana ℥ij. Flor.
Malv. Chamæmel. Melilot. ana p. j. coqu.
ad ℥x. quo foveantur oculi tepidi sæpe in
die, ad idem etiam valet sequens Collyrium.
℞ Mucilag. sem. Lin. Psyl. Cydonior.
in Aq. Ros. extract. ℥viij. Decoct.
Flor. Chamæmel. et Melilot. ℥iv. m.
f. Collyrium.

Medicus quidam non ignarus in principio variolarum commendat pulverem ex Alumin. Ch. ℈ß. & sacchar. opt. ℈i. bis spatio 24 horar. sumend. ac repetatur per 12os dies. ita consulit ut guttur ab inflammatione defendatur, die etiam 8o eundem pulverem praescribit, cuius scopo ignoro.

Tubulus nuce moschata incisa impleatur & in facie variolosa insufflatur, saepe somnum inducit cum haustus Paregoricus & hypnoticus huic fini correspondet, colorem etiam illum tarde maturescentem in rufum & cris posum mutat.

Spiritus etiam vini in principio hujus morbi ad guttur inflammatorium praecavendum cum immerito consulitur, phlegma n. & humores viscidos attenuat, & sanguinem stagnationi aptum fluidum reddit ut liberum circuletur.

Diarrhaea & Ptyalismus variolis saepe supervenient, salivatio a 3° septimanae sine periculo quandoque permanet, variolis evacuandis: Infus. Rhe. in Aq. Cardiac. nec ō Tinctur. Ros. Liquore Perlato acidulat. ac Diacodiata in his casibus valent an Ptyalismus exurgit ab ulcerosa gutturis dispositione, an a febre male curata et judicata, ut aphthae in declinatione febrium malignarum saepe exoriuntur a sti caa, an a particulis malignis in pugne latitantibus & naa huic evacuationi exstimulatibus, Curiosis exagitetur.

Diacodium in Decocto Rad. Scorzoner. C. C. Ulmar. & flor. Calend. cum Aq. Theriacal. exhibitum, nil differt a Diascord. & Theriac. quae ab experientia approbatur, at in his virtus Diaphoretica ab opio emanat, unde etiam Diaphoresis a Diacodio expectetur: ac si amica Diaphoresis cum Cardiacis sit methodus variolas curandi, ingenium humanum ne excogitare quidem potest maa medica accuratiorem temperatis Alexipharmacis cum opio, hoc n. peculiare obtinent, quod solum maa variolosa moderate excludunt, quin sufflimanat etiam eruptiones inordinatas: famula quaedam variolis laborabat cum motibus convulsivis insigniter affligentibus, sumpsit Diascord. ℥i. Pulvar. orient. gr. vi. Laudan. gr. i. Syrup. Melis. parum: hoc ex ejusmodi Diaphoreticis motus convulsivi tam exacerbatur quam multiplicabantur per totum diem, donec propinari pulvis ex

Ag. Limon. cum syrup. e suc. Citr. & Diacod.
hinc motus inordinati compescebatur ob minorem spirituum agitationem a pulapio frigidiore.
Diarrhoea per totum morbi tempus comitabatur
ac aegrota sanitatem feliciter recuperabat.
Cum vesicantia emplastra variolosis applicentur
rarò vesicae excoriationem effugiunt, evulsis
n. variolis ob emplastra, cutem profundius penetrant quam aliis temporibus.
ab exclusione variolarum
Die 6. 4. vel 8 praescribunt lac cum pomis coctis,
Occidentales hac sola diaeta sunt contenti, ob
quam intentionem nescio, nisi ad signum contemperandum, ne febris 2daria nimis affligeret.
Hiberni Cerevisia mustea utuntur ad maturationem variolarum accelerandam.
Sanguis variolis decidentibus missus lentescit, ut in pleuritide &c. indicium non infimum morbi inflammatorij.

℞ ol. Amyg. dulc. recent. ℥ß.
ol. Tart. p. deliquium ℥iß.
probe in mortario misceat; dein
adde spermat. Cet. ℥ij. sacchar.
saturn. Borac. an ℥ß. un-
guent. Pomat. ℥v. ol. Rhod.
q. s. ad grat. odorem. m. f. unguent.
pro facie.

Mucilago sem. Cydon. Aq. Plantag. ex-
tract. ac syrup. de Rub. Idae. mixt.
est Gargarism. elegans ac utile.
℞ Confect. de Hyacinth. ℥ß. Conserv.
Caryophyl. ℥vi. Diascord. ℥ß. Margarit.
Ocul. Cancr. p. an ℥iß. syrup. Caryophyl.
q. s. m. f. Elect. in variolis malignitate cum
maculis purpureis exhibendum.
℞ pulv. e chel. C. C. Margarit. Contrayerv.
an ℈ß. m. f. Pulv. Cardiac.

Chesneau in Observ: p experientiam mag-
noperē comendat ad variolarum depressio-
nem ℥iiij Aq. Card. B. t Ulmariae cum sal
ejusdem gr. vi. aut viij. quodq addit Ambr.
Gris. gr. ij. t Confect. Alchermes ℥ß:
ne vestigia ex variolis relinquantur un-
gendae facies d. Amygd. D. recenti cali-
do, hyeme p. dipne, aut adipe caponis li-
que facta, t oleo in quo multa folia Malvae
incoxeris, sicut et pomata aliqua recenti,
haec cutis faciem emolliendo efficiunt ut
tumentibus et crescentibus variolis, facilius
cedat, minorq in carne fiat fovea, post-
quam crustae deciderunt optimum est unge-
re faciem spermate Ceti. idem.
In deglutiendi difficultate sequens lin-
ctus morituris prodest ℞ Dianuci ℥i t ejus
loco Aq. Nuc. Stil. ℥ij Syrup. Conserv.
Nuc. ℥vi. Sal Gem. gr. vi t viij. sale dissolu-
to deglutiatur p vices lentissime. idem.

℞ Aq.ª Ophthalmica, in variolis

℞ Croc. orient. ℈i. Aq. Plantag. Euphras.
Ros. an. ℥iß. f. infus. hor. ʒ, dein fil-
tretur ac dissolvatur sapid. Medicamen-
tos. gr. xvi. ichorem acrem sicando & con-
sumendo, ejusdem impressionem in oculos im-
pedit.